



# Disputatio medica inauguralis de peripneumonia

<https://hdl.handle.net/1874/343303>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE

# PERIPNEUMONIA.

QUAM  
PRÆSIDE DĒO TER. OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNIS GEORGII GRAEVII,  
Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimaeque*  
*Facultatis MEDICÆ Decreto,*  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Defendet*  
ALEXANDER CAROLUS PHILIPPUS WACHENDORFF,  
Clivô-Clivensis.

*Ad diem . Januarii horâ locòque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clò lcc xci.

PERILLUSTRI & GENEROSISSIMO DOMINO

D. ALEXANDRO LIBERO  
BARONI à SPAEN,

DOMINO Hæreditario in Ringenberg, Möyland, Till,  
Creutzfurt, Bouillon, Niederhagen, ac Hulshorst, &c.  
*SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS  
BRANDENBURGICI* &c. Sanctioris Consilii Consi-  
liario, Regiminis Ducatus Cliviæ & Comitatus Marcani  
Præsidi, Machinarum bellicarum Præfecto Generali, Ca-  
merario, Ductori Legionis tam equestris quàm pedestris,  
supremo Munimentorum Ducatus Cliviæ & Comitatus  
Marcani Commendatori, Gubernatori Vesalix inferioris  
&c.

U T E T

PERILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO

D. CONRADO PHILIPPO LIBERO  
BARONI à ROMBERG,

DOMINO Hæreditario in Bladenhorst, & Bruninghausen.  
*SERENISSIMI & POTENTISSIMI ELECTORIS  
BRANDENBURGICI*, &c. &c. Regiminis in Du-  
catum Cliviæ & Comitatum Marcæ Consiliario intimo,  
Supremi Justitiæ Tribunalis Præsidi &c.

*D. D. Susceptoribus & Mæcenatibus perpetuo  
observandis atque colendis*

Specimen hoc inaugurale eâ quâ par  
est, submissione sacrum facit

A. C. P. WACHENDORFF.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
PERIPNEUMONIA.

THESIS I.



Ultra cum multis de nomine Peripneumoniæ describere animus non est, quoniam nemo adeo novus medicinæ hospes est, qui nesciat illud à *parte affecta pulmone* Græcis dictum. Aggredior itaque quam primum ad ipsum morbum.

I I.

Peripneumonia est inflammatio pulmonis.

I I I.

Prolixam hujus visceris descriptionem, qui desiderat, Anatomicorum scripta consulat. Suffecerit impresentiarum, dum brevitati studeo, monuisse substantiam ejus indefinitis membranaceis vesiculis & innumeris vasis omnis generis intertextam, pluribus glandulis gaudere: quæ omnia membrana extus investiente continentur. Inter vasa numerantur arteria & vena pulmonalis: arteria bronchialis: arteria aspera cum suis bronchiis: nervi atque vasa lymphatica: Horum omnium fabricam & texturam artificiosissimam qui inspexente simulque motum & naturam humorum consideraverit, faciliè intelliget inflammationi subeundæ idoneum admodum esse pulmonem.

I V.

Pulmone ita obiter descripto, præteritæque generali inflammationis naturâ ad Peripneumoniæ causas progredior.

V.

Animadvertenti autem causarum tractationem penes auctores ut prolixam, ita sæpe obscuram & intricatam esse. Cæteris sepositis attendendam tantum ad causam procatarcticam & proegumenam: quæ di-

stinctio obtinet respectu modi, quo res quæque morbum producit.

## V I.

*Proëgumena* itaque, quæ morbum per se facit, aliis certò respectu *proxima*, *conjuncta* vel *continens* dicta, est sanguis in pulmone hærens, qui debitò suò motu & liberò transitu propter obstructionem destitutus, effususque in spatia intermedia stagnat. Fiendi modum & effecta mox latius explicabo.

## V I I.

*Procatartica* unde morbus incipit, vel potentiâ seu prædispositione; vel actu, ipso motu & impetu clarioris doctrinæ gratiâ *πρόφασις* vel *ἀφορμή* rectè dicitur.

## V I I I.

*Πρόφασις* hîc sita est in sanguinis & humorum atque pulmonis vasorumque ejus malâ dispositione. Aded, ut huc faciant & sanguinis mala mixtio *Hipp. ὑπόσις* & ipsius indebitæ facultates *δυσάμεισις ἴψι* appellatæ: ac ejus abundantia & motus enormes. Quæ communiter *materialura* nomine veniunt: huc pertinent particulæ massæ sanguinæ salinæ, acidæ, serosæ, viscidæ, crassiores, tenuiores, & aliæ heterogenæ vel copiâ vel robore peccantes, secretæuë. Quibus ulterius enarrandis & educendis supersedeo, ne nimium excurrat nostra disputatio. Similiter ad *πρόφάσις* revocanda est depravata undecunque orta pulmonis & thoracis quandoque conformatio, quæ *morbus structura* audit. Talis est nimia vasorum vel angustia vel laxitas & constitutio vulgò alata dicta. Imbecillitas pulmonis seu flaccida nimis textura, sive à nativitate sive post morbos prægressos, anginam, pleuritidem, febres, tusses, casum, ictum, vulnera &c. orta fuerit. Ita vas lapidifacium, ut *Willisus* refert *pharmacœut. rational. part. 1. cap. 2.* aut obstructus pulmo quibusdam in partibus à calculò.

## I X.

Ad causas *ἀφορμὰς* communiter *externas* & *evidentes* appellatas referendæ sunt res non naturales auctoribus dictæ, & quæ in earum censum adscribi solent. Inter illas *aëri* principem locum do, cum ille & nos ambiens, & calefaciens, & refrigerans, & corpus intrans diversissimis, quas continet particulis, sanguinem in pulmone & deinceps plurimùm afficere & mutare valeat. Ita aër ambiens ex-

dente

dente frigore poros claudendo & transpirationem insensibilem inhibendo, quin ipsum pulmonem sanguinemque ingrediens, illum obstruendo, hunc incrassando, sicque liberum transitum sanguini à tergo accedenti & effervescenti intercludendo inflammationem excitare potest. Huc quadrat *Aph.* 23. S. III. Hyeme verò, pleuritides, peripneumonix, lethargi, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectorum, & laterum, & lumborum, & capitis dolores, vertigines, apoplexiæ. E contrariò aër calidior sanguinem agitando, attenuando, ejus modum & effervescentiam augendo, mixturam turbando, vasa nimis distendere, disrumpere, sanguinem extra vasa effundere, sicque vias intercludere, atque obstructionem & inflammationem causare, par est. Hoc indicant *Aph.* 20 & 21. S. III. Ad eundem modum aliæ aëris facultates & permixtæ particulæ, magis minus peregrinæ, insolitæ & malignæ, subitæque ejus mutationes causis prædictis ad peripneumonix productionem motum dare possunt. Videantur *Aph.* 1. & 6. S. III.

## X.

Præscriptos brevis disputationis limites excederem, si de *cibò & potu excretis & retentis, motu & quiete, tum corporis, tum animi, nec non somno & vigiliis* hinc singulatim agerem. De assumtis notari velim, acida sanguinem lymphamque coagulare apta, plurimum huic morbo producendo ansam dare. Quod innuere videtur quoque *Hipp.* *Aph.* 33. S. vj. acidum ructantes non admodum pleuritici fiunt. Ita frigida vel actu, assumta corpore calente, vel potentiâ, quæ sanguinem fluidum & ritè motum incrassare & sistere possunt in peripneumoniam præcipitare observantur. Hoc probat *Aph.* 24. S. V. frigida velut nix, glacies, pectori inimica, tusses movent, sanguinis eruptiones, ac catarrhos inducunt. Idem efficere valent aqua staponi, medea, limonade, a la glace &c. præsertim tempore æstivò & quando corpus & humores exæstuant. Omnis enim mutatio subita periculosa, juxta *Aph.* 51. S. II. nec modò aquæ istæ refrigerantes nimium, sed & quibus pulmones debiles, humiditas multa noxia. Tradente *Hipp.* 2. *Epid.* inde enim catarrhi frequentes generantur spiritus fermentaque obruuntur & partes excretioni minus aptæ redduntur. A frigidis ad calida conversus defungar *Aph.* 16. S. V. Calidum, eò frequenter utentibus, has affert noxas: Carnis effœminationem,

tionem, nervorum impotentiam, mentis torporem, sanguinis eruptiones, animi deliquia: hæc quibus mors. Neque immorabor vitiis enumerandis, quæ ab alimentorum quantitate, substantiâ, qualitibusque exsurgunt atque hunc affectum dictâ ratione producere apta nata sunt. Nam qualis cibus; talis fere chylus, qualis chylus, talis sanguis, tales humores & spiritus generari consueverunt. De reliquis rebus nonnaturalibus simili modò generandæ peripneumonix aptis nihil dicam;

— ne Chryssippi scriinia lippi

Compilasse puter.

Quare istis omissis progredior ad

X I.

*Signa Diagnostica:* hæc notantur. Febris acuta continua, respiratio difficilis, dolor in pectore & pulmone gravativus: quæ Pathognomicum, Peripneumonix habentur: Quibus accedere solent rubor genarum, tussis modò sicca modò humida, sputum modò nullum modò cruentum, spumosum varium & alia à perturbatâ sanguinis mixturâ & parte affectâ inflammata progrediente morbò oriunda symptomata, quorum descriptionem pagellæ disputationis nec admittunt nec requirunt. Cum abunde illa auctores tradant.

X I I.

Dum verò huic affectui cum pleuritide maxima intercedit affinitas, quoniam ratione essentix & causarum ferè conveniunt, quomodo à se invicem ratione partis affectæ differant, reliquis differentiis sepositis verbò exponam. In Peripneumoniâ pulmo primariò pars affecta est, unde dolor gravativus, profundior & in mediò potius pectore sentitur. Cum is in pleuritide punctorius in latere magis atque in pleurâ & musculis intercostalibus existat. In Peripneumoniâ major respirandi difficultas, & febris cæteris paribus intensior observatur. De genarum rubore, tussi, & sputò in genere nihil certi asserendum existimo, cum pulmo plerumque fibrosis nexibus pleuræ alligatus observetur ab Anatomicis. Atque adeò sæpe unà cum pleurâ affici possit. Ut testantur observationes.

X I I I.

Enarratis ita affectûs nostri parte affectâ causis & signis Diagnostis, quàm brevissimè exponam quomodo Peripneumonia cum suis

fuis Phenomenis producat. Sanguis à causis quibuscunque tùm externis tùm internis ex prædictis celerius & vehementius motus, hinc incallescens ac in mixturâ suâ perturbatus fermentationem præternaturalem concipit spiritusque ad frequentiore cordis & arteriarum constrictionem impellit, hinc sanguinis in pulmonem reliquumque corpus influxum celeriore, & copiosiore efficit, sicque *febrim* pulsumque frequentiore inducit illamque *continuam* ob constanter perseverantem sanguinis perturbationem, & continuo suppeditatum fomitem. Hinc accidit vasa pulmonis magis impleri, distendi, poros & tubulos nimium dilatari, particulasque cum illis ratione figurarum & magnitudinis minus convenientes simul affluere & propelli, quæ cum liberum transitum non invenient particulis subtilioribus præterlabentibus, in angustiis hærent, ipsas partim obstruunt, partim divellunt, & lacerant, motu spirituum & sanguinis à tergo accedentis, carceres suos perfringentis, & se in spatia intermedia membranarum, vasorum ipsiusque substantiæ pulmonis effundentis, sicque obstructionem & inflammationem producentis. Quemadmodum verò sanguis dictò modò obstructionem facere potis est, ita quandoque pulmonem prædispositum obstructum compressum ve ut th. VIII. dictum invenit.

## X I V.

Sanguine jam extravasatò vel in vasculis suis stagnante particularum à se invicem major fit secessio, unde spirituosæ magis volatiles, & tenuiores tùm acidas tùm salinas aliasque acres temperare solitæ evanescere incipiunt, ita ut mirum non sit quædam concretioni magis idoneas, quales lymphaticæ, ab acidò acriori coagulari sanguinem lentescere, ut in missò sanguine patet, aliasque heterogeneas aciores redditas magis effervesce & in se mutò accedente æthere peregrinò insurgere, unde calor & æstus in parte quidem inflammatâ major, per totum dispergitur. Facile ex his causa *respirationis difficilioris* reddi potest propter spirituum consumptionem, pulmonis à sanguine febriliter effervescente repletionem, distensionem aëris minorem ingressum, ejusque insoliti minus convenientem permixtionem. *Minus dolorifica* est ea propter partis affectæ conditionem & minorem, quàm in pleuritide muscutorum respirationi inservientium læsionem. Dum verò à prædictis causis acioribus



ribus & membranæ pulmonis partes & bronchia vellicantur, roduntur, unde *tussis* & vasculorum quorundam officia aperiuntur variè, modò nullæ, modò sanguineæ, modò aliæ secretorum humorum particulæ cum aëre in expiratione expelluntur, tunc *tussim* vel *siccam*, vel *humidam*, & *sputa*, modò *cruenta*, modò *spumosa*, & *varia*, provenire facilè concipimus. *Genarum rubor* ex sanguine tenuiore per capillares illarum arterias sub cutim transeunte facilè deduci potest. Atque ita explicatis quoque phænomenis, tempus est accedendi ad

## X V.

*Prognosis.* Morbus hic rectè inter acutos, de quibus est *Aph.* 19. §. 11. recensetur. Cujus periculum ex parte affectâ & symptomatibus enarratis, ac sæpe supervenientibus facilè innotescit, ut verè *Celsus lib. 14. cap. 7.* hoc fanè morbi genus plus periculi quàm doloris habet. Periculum majus esse observatur, si Peripneumonia aliis morbis, debilitatò jam corpore succedat, juxta *Aph.* 10. §. v. & *Aph.* 11. §. 7. ita gravius quoque periculum protendunt, si vehementiora symptomata insuper accedant, qualia sunt; fitis intensa, linguæ siccitas, vigiliæ, diliria, & quæ *Hipp. lib. de morbis 1. & pluribus in locis tradit, vide Aph.* 12. §. VII. & 16. §. VI. tussis sicca & sputum nullum in malis habetur, de sputò idem quod *Hipp. Aph.* 12. §. 1. de pleuritide, verum esse docet experientia, de sputis porrò inspiciatur. *Hipp. Coacorum prænotionum Sect. 111. No. 143. & sequentibus.* Urinam bene procedere bonum esse idem testatur: virium constantia in hoc affectu, cum remissioribus symptomatibus bonam spem ægris promittit.

## X V I.

Haftenus tradita quò legitima curatio excipiat, methodus postulat, ut imprimis ratio causæ *ib.* VI. positæ habeatur: hâc enim sublatâ, fundamentum morbi & ipse morbus tollitur. Sanguis itaque in pulmone hærens & obstructionem efficiens, liberam fluxionem & motum debitum requirit, obstructionisque referationem indicat. Quòd si hoc per media mox subjungenda, dum materia morbi magis impacta & concretione minùs mobilis reddita est, obtineri nequit, illa ritè coquenda & suppuranda est, ut per expectorationem vel aliam evacuationem educatur.

XVII. Re-

## X V I I .

Remotis ergo, si adsunt, quantum fieri potest, causis æque  
 lib. ix. explicatis, protinus ad venæsectionem eundem est, eamque  
 liberalem, ut sanguinis motus vehementior inhibeatur, copia ejus  
 minuatur, affluxus uberior ad pulmonem rescindatur, ulterior ex-  
 travasatio præveniatur, & sanguis extravasatus feliciter à venis resor-  
 beatur ac circulationi reddatur. Instituenda autem est venæsectio,  
 teste cum ratione experientiâ, in brachiò lateris pulmonis magis af-  
 fecti, in quò æger dolorem aut gravitatè majorem sentit, & ex quò  
 sputum potius evehi percipit. Venæsectio autem manentibus ejus  
 indicationibus aliquoties repetenda est, quò usque vires permittant  
 & circumstantiæ concedant: Juxta quas quantitas determinari quo-  
 que postulat. Si vero Peripneumonia aliis morbis superveniat aut  
 succedat, in quibus venæsectio jam celebrata & corpus debilius red-  
 ditum est, majori adhibitâ circumspectione & minori in copiâ san-  
 guis detrahendus est. Minimè verò placet illorum sententia, qui  
 volunt sanguinem eò usque mittendum esse, usque dum effluat bo-  
 nus, minus lentus; nec pelliculam viscosam & discoloram in superfi-  
 cie habens, qualis in hòc morbò & pleuritide frequenter observa-  
 tur. Dum enim hanc, vel coloris mutationem Medicus expectat,  
 sæpe ægrum debilem, expectorationi imparem & morti proximum  
 experietur.

## X V I I I .

Post factam sic V. S. priusquam ad alia Medicus accedat, alvi  
 obstructæ & hærentis in primis viis excrementi causâ, illam ducen-  
 dam, hoc subtrahendum clysterem injici curet emollientem & leni-  
 ter purgantem. Purgantia enim fortiora vel per os vel per alvum hic  
 in Peripneumoniâ verâ, uti in aliis inflammationibus internis, mini-  
 mè præscribenda sunt; quia sanguinem magis exagitant & pertur-  
 bant. Paretur itaque Clyster ex decoctò communi Clyst. ad ℥viij.  
 vel ix. add. Elect. Diacath. & Diaprun. aa. ziv. vel vj. vel similibus:  
 qui subinde pro rei necessitate repeti potest, aut similis

℞. Rad. Alb. ℥ß. Glycyrr. ℥ij.

Herb. Malv. pariet. violar. branc. urs. aa. Mj.

Coquantur in suff. aq. simpl. Colat ℥ix. add. Sacch. rub. ℥j.

M. F. Clyster.

B

XIX. His

## XIX.

His præmissis, ad resolutionem & attenuationem materiæ hærentis in pulmone & lentescens pulmonisque obstructionem referendam conveniunt Diaphoretica tam volatilia, quam fixiora, additis, quæ magis solidis & pertinaciùs resistentibus particulis constant, atque acidum, hic plurimum peccans, corrigere & emendare valent. Talia sunt Sal. volatilia C. C. Urinæ, Fuliginis, Succini, salis Armoniaci &c. quæ sale volatili abundant, ut stercorea quorundam animalium & imprimis hic laudatum Caballinum. Inter fixiora recensentur omnia incinerata salia herbarum, Card. bened. Absinth. &c. ad hæc & pertinacia illa spectant Bezoard. minerale, Antimon. Diaphor. Nitr. & pulveres testacei, ut Dens apri, mandibulæ piscis lucii, Oculi Cancr. ex quibus varia misceri & variæ formulæ concinnari possunt, additis ob prædictos scopos, quæ ex papav. errat. constant & ipsò laudanò opiatò atque opiò correctò: quæ cur non æquè convenient ac confectiones Opiatæ Theriaca, Mithridatium, Diascordium, causam nullam video. Pro formulis sint

℞. Ocul. Cancr. Præp. ℥ij.

Rasar. dentis Aprugn. ℥j.

Coral. rub. Præp. ℥j.

Conch. Ostr. Præp. ℥ij.

M. F. Pulv. No. v. capiat ager singulis diebus duos in Cochleari, uno aut altero sequentis Mixtura.

℞. Aq. Card. Bened. ℥i℥.

Hyssop. ℥ij.

Theriacal. simpl. ℥j.

Laud. opiat. gr. ij.

Syr. Papav. Errat. ℥℥.

M.

sequens mixtura etiam utilis esse potest.

℞. Aq. Papav. Errat.

Scabios. aa. ℥ij.

Ocul. Cancr.

Antimon. Diaph. aa. ℥ij.

Laud. Opiat. gr. ij.

Syr. Papav. Errat. ℥℥.

M. dosis

*M. dosis, ut precedentis sine pulveribus, esse potest, ad duo Cochl. singulis bihoriis.*

Bibat quoque ex sequenti decoctō.

*℞. Rad. Bard. ℥j.*

*Glycyrr. ℥ij.*

*Tarax. cum foliis.*

*Herb. Millefol. aa. Mj.*

*Card. Ben. Scabios aa. Mß.*

*Flor. Papav. Errat. Malva aa. p. j.*

*Coquant. ex aqua hord. ad ℥xxx.*

*Colat. adde Syr. Papav. Errat. Violar. recent. aa. ℥v.*

*Sp. Nir. dulc. ℥j.*

*M. F. Decoctum.*

## XX.

Multi internis his remediis non contenti, ad externa confugiunt linimenta, Emplastra & id genus medicamenta, quæ cum ad pulmonem pervenire non queunt, non videntur magni momenti, nisi fortè in quibusdam casibus specialibus. Quod si iis opus sit, cavendum ne poros obstruant & transpirationem insensibilem impediunt, quæ hîc omnino promovenda est tam externè quàm internè.

## X X I.

Si istis mediis frustra adhibitis, inflammatio non resolvatur discutiat & morbus curetur, sed sanguis stagnatione quasi immobilis reddatur & materia coagulata nimis firmiter pulmōni impacta sit, illa ut dictum est. xvj. coquenda, & suppuratio promovenda est, remediis jam recensitis emollientia maturantia & expectorantia, quin & evacuantia per urinas atque leniter diaphoretica ex chinâ, sassaparill. &c. adjungenda. Quæ cura cum coincidat cum illa, quæ Phthisi debetur, meritò hîc omittenda & isti loco demandanda censetur.

## X X I I.

Tandem diætæ mentio facienda est, prolixè enim illam juxta seriem sex rerum non naturalium, hîc describere & ipse affectus, qui acutus est, & ordo disputationis brevioris vetat. Desumi illa potest ex *Hipp. lib. 1. de diætâ* ubi diætam acutorum præscribere volens,

lens, pleuritidem cum quâ nostri affectui etiam ratione curationis maximus consensus est, in exemplum subijcit. Sit ea igitur tenuis, aër temperatus, neque frigore neque calore exedens. In cibò vitentur acria, acida, salsa, vehementiora. Conveniunt juscula carniùm endivia, taraxaco, qui hic specificus &c. alterata vel simplicia item hordeata. Potus sit decoctum hordei cum Glycyrrizâ, vel pasfulis & sale prunellæ: vel cerevisiæ tenuis, dulcis, cum guttis aliquod Sp. Nitri dulcis. Motus corporis & animi vehementiores imprimis ira & vigiliæ fugiantur. Somnus confert. De excretis, moneo, abstinendum esse à venere atque illis quæ alvum nimium movent metu diarrhææ, de quâ dictum in prognosi. Sit igitur alvus libera & moderata vel sponte vel clystere aut suppositoriò sicu simulive sollicitata.

F I N I S.

